HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE
BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO
SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0234

Sabato 15.05.2004

# LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA SOLENNE CHIUSURA DEL PROSSIMO INCONTRO DEI CATTOLICI DELL'EUROPA CENTRALE "MITTELEUROPÄISCHER KATHOLIKENTAG 2003-2004" (SANTUARIO DI MARIAZELL - AUSTRIA, 22 MAGGIO 2004)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA SOLENNE CHIUSURA DEL PROSSIMO INCONTRO DEI CATTOLICI DELL'EUROPA CENTRALE *"MITTELEUROPÄISCHER KATHOLIKENTAG 2003-2004*" (SANTUARIO DI MARIAZELL - AUSTRIA, 22 MAGGIO 2004)

In data 20 marzo 2004, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato, Legato Pontificio per la solenne chiusura del prossimo incontro dei cattolici dell'Europa centrale (*"Mitteleuropäischer Katholikentag 2003/2004"*) che avrà luogo presso il Santuario di Mariazell (Austria) sabato 22 maggio 2004.

Il Legato Pontificio sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Josef Toth, Decano del Capitolo di Vienna;

- Rev.do Mons. Karl-Heinz Frankl, Canonico del Capitolo di Gurk-Klagenfurt;

- Rev.do Mons. Piero Pioppo, Consigliere di Nunziatura in servizio presso la Segreteria di Stato;

- Rev.do Mons. Christoph Kühn, Segretario di Nunziatura in servizio presso la Segreteria di Stato.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio, Em.mo Card. Angelo Sodano:

**• LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro

**ANGELO** S.R.E. Cardinali **SODANO**

Secretario Status

Praeclarum evangelizationis opus, quod inter Mediae Europae populos sancti Cyrillus et Methodius, Adalbertus aliique christiani viri et mulieres per saecula apostolico spiritu permoti quondam perfecerunt, aetate nostra singularem in modum vigescere iterum cernimus. Ab anno praesertim MCMLXXXIX fides catholica novum habuit impulsum apud plurimos homines et populos Europae, quibus bonum, concordia, unitas Europae sunt cordi (cfr *Slavorum Apostoli* 1-2).

Laeto ergo animo novimus proximo mense Maio in pulcherrimo, praeclaro Nobisque sane carissimo Mariano sanctuario Mariazell in Austria peregrinationem habendam esse populis Mediae Europae, praesertim octo ex Nationibus, adstantibus Praesidibus eorum atque sacris Pastoribus, ibidemque ita dictum "catholicorum diem" celebratum iri.

Persuasum habemus huiusmodi eventum valde prodesse posse fidei et unitati illius Europae partis Nationum, quae sunt: Austria, Hungaria, Polonia, Respublica Cecha, Slovachia, Croatia, Slovenia atque Bosnia et Herzegovia. Quamobrem libenter accepimus invitationem Venerabilium Fratrum S.R.E. Cardinalium et Episcoporum, praesidentium Conferentiis Episcoporum, necnon Austriae civilium Magistratuum. Cum autem illo die Ipsimet illuc accedere non possimus, tibi, Venerabilis Frater Noster, qui magna prudentia et peritia Romani Pontificis cotidiana tam diu curas sustinenda officia pro totius Ecclesiae beneficio, libenter fidenterque singulare hoc munus explendum committere volumus.

Quapropter harum Litterarum vi **Nostrum Legatum** te nominamus sollemnem ad celebrationem quae in Mariazell diebus XXII et XXIII proximi mensis Maii fiet, occasione ita dictae Populorum Peregrinationis. Nostras igitur vices ages, sollemnibus praesidebis ritibus, Nostram fervidam significabis salutationem cunctis adstantibus, praecipue Praesidibus sacrisque Pastoribus Nationum quas diximus, Nostram omnibus confirmabis benevolentiam, caritatem et spiritalem praesentiam.

Per os tuum insuper cupimus Immaculato Cordi Beatae Virginis Mariae committere futuram condicionem sortemque horum populorum totiusque orbis, eosque vero sollicite hortari ut strenue fidem servent catholicam, Marialem excolant pietatem foveantque erga omnes authenticam christianam caritatem.

Dum precibus comitamur te, Venerabilis Frater Noster, et universos homines ad quos mitteris, Benedictionem Nostram Apostolicam, divinae gratiae auspicem atque ardentis affectus Nostri testem, sacrorum rituum participibus per manus tuas largiter peramanterque impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Aprilis, in festo sancti Adalberti, Episcopi Pragensis, anno MMIV, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

IOANNES PAULUS II

[00766-07.02] [Testo originale: Latino]